



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 47. Leopoldi Josephi Lotharingiæ Ducis edictum contra Ecclesiasticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

,,dem præsentibus, si exhibitæ forent, Sæc. XVII.
,,vel ostensæ., A. C. 1704.

§. XLVII.

*Leopoldi Josephi Lotharingiæ Du-
cis edictum contra Ecclesiasticos.*

Haud levis hoc anno erat contentio Bull. magna
summi Pontificis cum Leopoldo Clem. XI.
Josepho Lotharingiæ Duce, qui anno Const. 17.
hujus saeculi primo Codicem seu sta- Epistol.
tuta & decreta Nancæi edidit, quibus Ejusd. pag.
161. & seqq.
etiam Ecclesiasticos comprehendi, iis
obstringi, eorumque causas profanis
Tribunalibus subjici voluit: Fremebant
in omnibus Lotharingiæ & Barri ur-
bibus & pagis Episcopi, Clerici & Mo-
nachi, plena erant omnia gravissimis
querelis; quin Ducis, ejusque Ministerio-
rum animus flecti posset: Igitur Præ-
fules, cum summum Pontificem longe
acerrimum læse immunitatis vindicem
esse nossent, ejus opem implorarunt.
Nec eorum precibus deerat Clemens,
qui Ducem rogare, monere, imo &
minari non destitit; incassum tamen
omnia, quo circa anno hujus saeculi
tertio die vigesima secunda Septembris
Ludovici Codicem seu Constitutiones
damnavit, easque observari, legi, vel
retineri inhibuit, suumque Apostoli-
cum decretum mox executioni dari

L 3

præ-

Sæc. XVII. præcepit: Quarto post die ad ipsum
A. C. 1704 Ducem literas dedit, quibus eidem
significabat, quod hasce Constitutione
ejus nomine edita, utpote quæ non modi-
cam bonis omnibus offenditionem parere, ma-
ximamque tum rebus, tum Personis Do-
dicatis, non uno ex capite injuriam affer-
possent, maturo prius examine præmisso
reprobare, earumque lectionem, retentionem
& usum omnibus Christi fidelibus inter-
dicere compulsus fuerit: Dein Ducem rus-
sus monebat, ut hasce leges, quas in
consulto (ut credidit,) & aliorum potius
suggestione incitatus, ac subreptione de-
ceptus promulgari permisit, quamprimum
reformari, atque in iis, quæ Ecclesiæ ju-
ribus aduersantur omnino aboleri juberet,
hacque in re Majorum suorum exempla se-
queretur. Eadem quoque die Pontifex
datis literis omnes Archiepiscopos at-
que Episcopos de harum Constitutio-
num proscriptione Pontificia certiores
reddidit, eosque excitavit, ut pro domo
Dei unacum adlaborantes, Religiosi Prin-
cipis animum urgeant, ut Ecclesiastica jura
salva esse velit, nec illis detrimenti quo-
quam per suas leges irrogari patiatur.
Offendite, suggerebat eis Pontifex, quam
turpe sit, Catholicum Principem, ac præ-
cipue Lotharingicæ Domus tanta pietate in-
signis, totque etiam Ecclesiæ beneficiis aucta
a primo sui regiminis limine sacrosanctis

Mini.

Ministrorum Dei Privilegia impetere, li-
Sæc. XVII.
bertatemque violare, ac veluti Principatus A.C. 1704.
initia ab Ecclesiæ injuria auspicari. Pro-
ferte sanctas veterum Patrum Regulas,
quæ immunem a Laicorum potestate Eccle-
siam, ac Venerabilem Clerum ubique cla-
mant, nihilque ad saeculæ Principes in Ec-
clesiasticis negotiis, præter reverentiam
pertinere. Edicite non imminutis, sed auditis
potius Clericorum in sortem Domini voca-
torum Privilegiis, florere Regna, Deoque
protegente, firmari, Sacerdotumque poti-
sum precibus felicitati publicæ consuli:
Denunciate, si opus fuerit, parata in ad-
versantes Ecclesiasticæ libertati flagella su-
perni Judicis, imminentemque potentibus,
qui potenter tormenta patientur, sempiter-
num perniciem, si in Ecclesiam peccaverint,
eumque conquerentem minime audierint,
Demum si quis terminos, quos inter utram-
que potestatem posuerunt Patres nostri,
transilire præsumpserint, opponitite Vos,
tanquam murum pro Domo Israel, &
Sacerdotali pectore obistite, ne quid sub
regimine vestro derelicta Vobis a Majoribus
Ecclesiæ libertate, & dignitate minuatur.

Cum autem Pontifici innotuisset,
quod in hoc Ducatu plures, ac præ-
cipue Judices & Ministri damnatas
hasce Constitutiones non modo penes
se retinerent, sed etiam insuperhabita
excommunicationis abs ulla alia de-

L 4 clara-

Sæc. XVII claratione incurrendæ poena tam in
A. C. 1704. judicio, quam extra illud iis uti præsumperint, imo etiam ex Confessariis nonnulli refractarios ad Sacramentorum participationem admiserint, hinc Pontifex die decima Maij ad omnes Lotharingiæ & Barri Præfules literas dedit, quibus injunxit, ut Ducis subditos, ejusque Ministros ad debitam obedientiam Apostolicæ suæ Constitutioni præstandam compellant, & ejusmodi Confessarios a sacro Ecclesiæ clavium Ministerio arceant, aliisque poenis juxta Canonicas sanctiones in eos animadvertant.

§. XLVIII. *Appellatio a Pontificis Constitutione a Lotharingio interposita & a Clem. XI. reprobata.*

Bull. magn. Verum summus Pontifex iniquissimo
Conf. Clem. tulit animo, quod Lotharingiæ
XI. p. 26. Dux Pontificis precibus, Præfulum sollicitationibus & querelis adeo non cederet, ut insuper ejus quoque Ministri & Jureconsulti harum legum æquitatem calamo & ore defenderent & supremus Lotharingiæ Procurator adversus Pontificiæ Constitutionis executionem a Papa male edocto ad melius edocendum provocarit; semper enim